

**Disputatio medica, inauguralis, de asthmate spasmodico / ... Eruditorum
examini subjicit Samuel Leeds.**

Contributors

Leeds, Samuel.
Robertson, William, 1721-1793.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Auld et Smellie, 1766.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ey7badus>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISPUTATIO MEDICA

D E

ASTHMATE SPASMODICO.





Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3078774>

DISPUTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

D E

ASTHMATE SPASMODICO:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

S A M U E L L E E D S,

ANGLO-BRITANNUS.

Ad diem 27 Augsti, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I:

Apud AULD et SMELLIE Typographos.

M, D C C, L X V I.

ДОКУМЕНТЫ ОСТАНОВИ

ПРИЧАСТЬ УА

10

СЕДОВИЩА СТАЛЫ

11

СЕДОВИЩА СТАЛЫ

СЕДОВИЩА СТАЛЫ

СЕДОВИЩА СТАЛЫ

12

СЕДОВИЩА СТАЛЫ

D I S P U T A T I O

D E

A S T H M A T E S P A S M O D I C O.

PULMONES, ut et reliquae omnes corporis partes, compluribus morbis obnoxii sunt. Quorum in numero asthmatis species reperiuntur. Harum ego unam, scilicet asthma spasmodicum, incertis plerumque temporibus repetens, tractandum putavi.

SCRIPTORES hunc morbum in duas species diduxerunt, ut una esset quae continua, altera quae, Graeco vocabulo, periodica dicetur. Illa a vasis pulmonum compressis oritur. Cujus ideo varia origo est: Nam hydrops pectoris, ibidem pus occlusum, ejusdem tumores, polypus, vel alia in vasibus pulmonum concrecentia, plenitudo ab excretionibus suppressis, calculi asperam arteriam occludentes, adeps vicina vel thymus intumescens, spina distorta pulmonibus officiens, hi septo transverso, pericardio, sed maxime pleurae, adhaerentes; praeterea ventris, ut in ascite, tympanite uterive hydrope, atque etiam jecoris, lienis, pancreatis, renumque tumores, pulmones comprimere et spiritum turbare solent. Nec minus variat curatio, utpote quae in tot

Asthma continuum quid sit.

A

malis tollendis consistat. Quod quidem malum, sive, ut nobis videtur, tantummodo pro dyspnoeae specie, sive pro singulari affectu cum multis aliis cuilibet modo memoratorum morborum adhaerescente, habeatur; sane, si causa respiciatur, ab asthmate, de quo protinus sum dicturus, toto coelo distare dicetur. Nam

Definitio.

ASTHMA spasmodicum est spiritus laboriosus, sonorus, et impeditus, incertis plerumque intervallis repetens, et cum sputo saepissime decedens.

Asthmatis
spasmodici

MORBI signa et affectus expositurus; primum ea quae accessionem praecurrunt; deinde ea quae hanc comitantur, percurram.

accessionem
antecedentia.

PAUCAS ante accessionem noctes aegrotatutris somnus interturbatur; cibi desiderium aliquantum minuitur; ipsi languescunt. Pridie deinde ejus diei quo accessio futura est, circiter secunda vel tertia post prandium hora, is locus qui super summum ventriculum est, a plerisque quasi sufflatus et coarctatus sentitur: cui ructus inodoratus mox succedit; idque ante tussim, ante pulmones ullo modo coarctari coepitos, incidere solet. Mox caloris impatientia est. Caput hebes et plenum videtur, idem leviter dolet. Sub vesperum ejusdem diei homines somno obruuntur. Multos oscitationes et pandiculationes exercent. Prima dein nocte, perque hanc totam, atque etiam

diem posterum, pallidae urinae copia redditur. Porro per totum diem quo haec fieri dictum est, spirandi actio inquieta est. Caput quasi vaporibus aut humoribus ferosis repletur. Membra et praecordia gravata hebecunt; illa etiam inepta ad omnem motum sunt. Sub noctem spiritus quasi ore trahitur. Postremo, tussicula quodammodo convulsiva et muci aliquantulum rejectum, neque enim hujus multum ante accessionem in plerisque rejicitur, accessionem jam instare significant.

EXPERRECTOS circiter prima vel secunda Accessio. hora matutina principium accessionis petit. Spiritus primum tardus, brevi crebrior fit. Pectus et humeri mirum in modum attolluntur. Continuo homines supinum corporis habitum parum tolerantes, ex lecto se corripiunt, et erecti sedentes levamen quaerunt. Spiritus qui faciliter emittitur quam trahitur, tamen tarde et cum sono stridulo ita emittitur, ut neque tussiendi, neque sternutandi, neque excreandi, neque libere vocem mittendi, ulla facultas fiat. Pauci ita recti sedent, quin levaminis causa, in alterutrum latus, et in alterum aliis, pauculum inclinent. Post coeptam accessionem ventriculus multum inflatur. Quae si gravis est, ex hoc viridia vel flava quaedam rejiciuntur. Summus calor, ardor, sudoris aliquantum, ut in febris accessione fieri amat, arteriaeque inaequaliter citae, fiunt. Jamque si-

qui lecto ante non exierunt, omnium affectuum gravitate impulsi, seque in periculo versari, praesertim si accessio urget, sentientes, sine mora in pavimentum profiliunt, et frigidorem aerae carpunt. Una dehinc multis dejectio contingit: atque quo tempore hoc fit, nonnulli inflationem altius per ventrem descendere sibi sentire videntur. Quod ubi fit, minuitur anhelitus, ventrisque crepitus et alvus crebrius fusa, accessionem interdum finiunt.

PROCEDENTE longius morbo, arteriae debiliter micantes, subinde paulisper quiescunt; manus ac pedes frigescunt, multisque vultus quoque nigrescit. Plurimos, palpante corde, anima deficit. Vigente accessione, vix quicquam guttur transmitti potest. Labia, ita ac si lambere homines vellent, contrahuntur. Oculi quasi posiliunt, et lacrimis, nolente homine, suffunduntur; quae in nonnullis cutem flavo vel subnigro colore tingunt. Vultus pallescit aut livescit; musculi toto corpore subsidere videntur, omnisque omnium prope membrorum motus perit.

POSTEAQUAM aliquamdiu viguit accessio, caput multis multum dolet, hebescit, hominesque falsis, quales per somnum se offerunt, imaginibus luduntur; cui affectui caput retro depexum auxilio est.

PRIMO accessionis die somnus creber, sed

interruptus ac vigiliae proximus est. Item toto accessionis tempore frequens sopor, rarus somnus incidit. In alterutrum latus vel antrorsum laborantes paulum inclinati sedentes dormitant. Iisdem angustum cubiculum ubi ignis ardet, omnis pulvis aut odor gravis, omnia igne calefacta vinofave ore accepta, obfunt.

PLURIMI multos annos, nonnulli ad extremam senectutem, vim morbi tolerant, pauci eo jugulantur. Idem si frequentior atque diuturnior fuit, qui graciles sunt multi tabescunt; obeforum nonnulli in hydropa, lethargum, aut pulmonum inflammationem, incidunt.

DECEDERE accessionem, si ea brevis erit Decessio. et paucas tantummodo horas manebit, angustiae praecordiorum levatae, simul muci paululum, ovi album repraesentans, et nigredine, telae araneae instar, distinctum, sputo rejectum, significant.

CONTRA, ubi longior accessio futura est et aliquot dies permansura, per unum alterumve diem nihil vel exiguum aliquid muci excreatur. Idem hic tertio demum quartove die, quodammodo concoctus, minus tenax, albus, subviridis aut flavus, et in nonnullis sanguine distinctus, expuitur, et in vetusto morbo gustu subdulcis, subsalsus, aut acidus est. Pectoris angustiae solvi et caetera incommoda re-

mittere incipiunt. Postremo urina, quam ante accessionem pallidam exire dictum est, post primum ejusdem diem, in omnibus, perinde ac in febribus fit, colorata admodum efferri, et ad imum vas luteum aliquid demittere reperitur.

Quoties, quales, et quando accessiones redeant.

ACCESSIONES aestate quam hieme et frequentiores et faeviores sunt. Eaedem tertio quarto vel quinto die in plerisque finiuntur. Qua tamen in re magna est varietas. Nam ex magno aegrotantium numero, alii paucas horas, alii totidem dies, conflictantur; atque, ex omnibus temporis intervallis quae his media intercedunt, alii alia in accessione complent. Quin et iidem aliis temporibus, pro morbi aetatis, tempestatum generum, et aliorum casuum varietate, diutius aut brevius laborant.

PLERISQUE communia hujus asthmatis, eoque ordine quo incidere et aliis alia succedere solent, proposui; quibus, quo plenior morbi notitia sit, mulieris mihi notae in hac urbe viventis asthmatis quandam formam, ob quasdam proprietates in eo deprehensas, subjiciendam putavi.

Quaedam asthmatis forma exposita.

Ea circiter triginta annos nata est, et septem non continuos, pauci enim intermissi sunt, asthmate spasmodico, quasi annuo, laboravit. Accessiones fere semper cum caloribus aestivis eam repetere, plurimos dies tene-

re, neque per totum hoc temporis spatium ab initio ad finem aequales esse, sed subinde remittere, confueverunt.

MORBI adventum, magnus cutis, punctiones repraesentans, pruritus, et aurium tinnitus, praenunciant. Quod signum, post paucos dies summa alvi durities, summus animi et corporis languor, robur fractum, cibi fastidium, capitis cum dolore quasi circumacti vertigo, vehemens sternutatio et frigidae materiae a summis naribus in fauces destillatio, quae in pulmones penetrare et tussim primum excitare ipsi illi videtur, subsequuntur, et accessionem in propinquuo esse significant. Mox quasi suffocatio et omnia asthmatis spasmodici signa apparent.

EA post prandium una vel altera hora invadunt; et ad intempestatam noctem saevitie usque increscunt. Deinde circiter prima hora matutina accessio aliquantum sublevatur; eadem iterum sub vesperum omnium saevities redintegratur; idem mane postero lenimen. Qui quidem morbi saevientis deinde remittentis ordo ad quadragesimum, quinquagesimum, vel sexagesimum diem perstat.

PROXIMO anno, muliere medicamentis et victus ratione rite curata, accessio et serius solito et lenior multo rediit, multoque brevior fuit, quippe quae paucos dies amplius non permanserit. Eadem hoc ipso tempore illam,

sed aequa leniter, exercet. Hic vero per has omnium annorum accessiones, mulierem, neque accedente, neque saeviente, neque remittente, neque decedente malo, neque post hujus decesum, multum ante expuisse, attendere operae pretium est. Hoc autem anno sputum haud mediocriter copiosius esse ipsa emiratur. Ex quo primum in asthma implicita est, biennium vel triennium Londini morbi expers vixit. Eundem Edinburgi ne una quidem aestate fugit.

Causa proxima.

CAUSA proxima hujus morbi est, spasmus fibras bronchiorum musculares constringens. Nam neque pituitam, sive in pulmonibus natam, sive aliunde eo perlatam, ut antiquis placuit, neque humores rariores factos, ut ingeniosus FLOYERUS laboriose contendit, accusandos esse, neque in ulla omnino materie morbum consistere, fidem faciunt; cum nihil saepe per sputum rejectum, tum siquando quid rejicitur, id ipsum copia minus quam ut morbum fecisse credibile fit; postremo cadaverum incisorum nec ullam materiei vestigium prodentium, inspectio.

Causa corpus asthmatis obiectiens.

QUAEDAM pulmonum et ad hos pertinen-
tium partium irritabilitas asthmatis spasmodico corpora opportuna reddit. Neque HOFFMAN-
NUS audiendus est, qui “ corpora sanguinea,
“ vasorum exilioribus sed numerosis praedita,
“ obesiora, plena, pectus angustius conforma-

tum, asthamati spasmodico" vel, ut ille ait, "convulsivo sola sua natura opportuna esse," docuit. Nam neque omnia hujusmodi corpora, etiam causis occasionalibus oblatis, in morbum incidunt; et cum aliis eadem in irritabilitate positis malis saepe per totam vitam conflictantur. Esse igitur opus illa vel simili aliqua pulmonum infirmitate, quam irritabilitatem dixi, ad asthma spasmodicum faciendum, fatendum est. Praeterea obesitas et plenitudo potius ad asthma continuum quam spasmodicum ducunt. Porro, licet conditio, asthamati spasmodico corpora necessariò objiciens, in hominibus sanguineis saepissime insit, ideoque tales etiam hoc asthmate saepissime implicentur, tamen, ut omnis morbi spasmodici causa, ita hujus quoque, a nervis petenda est.

PARTIUM autem affiendarum irritabilitatem facient, augebunt, et morbi periculum adferent, quaecunque vel totum corpus, vel alias partes cum illis per nervos communes confertentes, irritant.

HUJUSMODI autem irritamenta vel extra morbos vel intra hos sunt.

EXTRA morbos, reliquum corpus, ac ideo pulmones per consensum, vel ipfos hos protinus irritant, et in morbi periculum deducunt, labes a parentibus nascenti proli insinua-

Causae antecedentes,

ta, diuturnus metus, moeror, aut animi follicitudo; longa fatigatio, affidua disciplinae literarum contemplatio, lucubratio aut negotia nocturna; CERERIS, BACCHI, aut VENERIS, in confuetudinem deducta, intemperantia; inediae aut victus malignioris consuetudo; naturales excretiones modum diutius superantes; item frigidus ac humidus aër diutius ad corpus adspirans. Hic vero notandum est, easdem has res, quae lentius procedentes corpora ita afficiunt, ut, occasione data, morbum accipi-ant, si vis earum intendatur, aut ipsae subito magis ingruant, ad morbum excitandum sat efficaces fore. Itaque JOANNES FLOYERUS eques, medicus, et scriptor Anglicanus, usum liquorum ardantium quosdam senes et asthmati opportunos reddidisse, et in ipsum id conjectisse, testatus est *. Pluribus hanc rem exemplis, posteaquam ad causas accessiones reducentes fuerit perventum, illustrabo.

morbi, ut

Ex morbis qui praecedentes hujus metum faciunt, febres cum aliae, tum praecipue quartanae et tertianae; variolae, morbilli, pulmonum aut pleurae inflammatio, catar-rhus, accessiones tam hystericae quam hypo-chondriacae, novissime ventriculi inflatio, sunt. De quibus omnibus ordine verba faciam.

* Vid. Sir Joh. Floy. on asthma, p. III.

Ex febrium generibus intermittentes frequentissima ejus origo sunt. JOANNES FLOYERUS, cum jam ante suspirio diu laborasset, febre tertiana gravi cum animae defectionibus correptus, certos prope asthmatis spasmodici, quod ille humidum appellat, circuitus semper deinde expertus est. Idem sibi Theologum quandam notum, post febrem quartanam asthmate spasmodico, omni vere redeunte, laborasse, testatur. Item ex febre cuius naturam non notavit, alio etiam interposito morbo, mulierem quandam in asthma hystericum incidisse, ipsa auctore, memorat.

FLOYERUS, variolas cum suum tum simile variolae, aliorum asthma gravius reddidisse, praedicat. Apud eundem mulier gracili corpore post variolas, quae ei adhuc natu parvae contigerant, usque asthmate spasmodico ex intervallis longioribus repetente, praecipue si frigore excepta erat, quotiesve anni tempora vertebant, aut coeli habitus commutabatur, afflita reperitur.

MORBILLOS vero ad hunc morbum efficiendum etiam plus posse experientia quotidiana, scriptorum, et CULLENI nostri, testimonia confirmant.

PORRO ex pulmonum inflammatione multi in asthma FLOYERI humidum, spasmodicum nostrum, inciderunt.

dolor lateris, PRAETEREA juvenis quidam, qui laterum dolore affectus erat, ex eo in asthma quoque, teste FLOYERO, incidit. Neque, cum pulmones inflammati toties asthmatis origo sint, pleuram inflamatam ad eandem ducere posse, dubitandum est. Siquidem utraque inflammatio exiguo fine discrepat, et raro altera sine altera existit.

longus ca- LONGUS catarrhus in asthma spasmodicum, tarrhus, praecipue magnis anni mutationibus factis, definit, quae species quasi annua est. FLOYERUS, si asthmatici tales frigore excepti sunt, atque id frigus dentes, guttur, vel caput, movet, intra unam vel alteram noctem asthma constanter repetere, observavit.

malum hy- DENIQUE vitia hysterica hanc asthmatis stericum, speciem inducunt. BAGLIVIUS speciem quan- dam mulieres hystericas salutem desperantes petentem, remediis asthmatis vulgaribus re- sistentem, frigoris summi capitidis cum doloris aliquanto sensum habentem, memorat *. FLOYERUS mulierem circa decimum quin- tum aetatis annum accessionibus hystericis exceptam, easque, cum nicotianae fumus, me- dicinae causa, in vultum effet inflatus, spiran- di difficultate postea mutatas esse; atque de- inde ad vicesimum secundum aetatis annum alternis vicibus, modo asthma, modo malum

* Bagliv. lib. 2. p. 202. et 204.

hystericum, repetivisse, teste ipsa aegrotante, memoriae prodidit.

Hoc autem loco non est praetercundum, reliquas asthmatis spasmodici formas, modo comprehensas, sive ex febribus tertianis quartanisve, sive ex variolis aut morbillis, sive denique ex pulmonum aut his praetentae membranae inflammatione, ortas, per materiam aliquam pulmones irritare, omnique ex parte pro eodem morbo habendas esse; in malo autem hysterico huic proprium spasmum ad pulmones transferri et asthmati initium dare. Aliquid igitur inter hos morbos neque adeo multum interest. Nam et asthma hystericum, ut in aliis citius, in aliis serius, ita in communem reliquis naturam, tandem utique vertitur. Et quaecunque causae illorum, eaedem hujus quoque, accessiones reducunt. De quibus suo loco postmodò dicetur.

AD haec, malum hypochondriacum asthma Malum hypochondria-
cum spasmo inferre dicitur. In eo spiritus con;
sine fono et brevis est, pectus circa sternum degravatur, ventriculus inflatus distenditur, caput quasi vertigine circum rapitur, et in syncopes homo periculo versatur. Praeterea saepe extra pulmones morbus sedet. Caetera idem ab asthmate a causis supra relatis orto, praecipue hysterico, haud multum abludit. Plura de eo scire cupientes ad RIVERIUM et JUNKERUM relego.

Superiorum
causarum
cum morbo
hysterico
comparatio.

POSTREMO ventriculi inflationem, a vitiata chyli natura ortam, verum asthma spasmodicum excitare in FLOYERI, sine exemplo, testimonio positum est. Nos, quia sola haec inflatio chylique corruptio an cum aliis vitiis conjuncta ad asthma viam faciat, ignoramus; simul talem tamque diligentem virum nihil vani dixisse et ad exempla respexisse, ducimus; hanc rem non omittendam, et in medio pro cuiusque arbitrio dijudicandam, reliquimus.

PRAETER morbos, pulmones irritando et stimulando, asthma spasmodicum excitarunt acria vel aliena quaedam in asperam arteriam transcurrentia. Qualia sunt nicotianae fumus, metallorum partes exiguae, liquorum fermentiscentium halitus, aut pulvis ex summa terra versus.

nicotianae
fumus,

ITAQUE, FLOYERO auctore, hystericae, nicotianae fumo auxilii causa spirato, haud paucae asthmate plectuntur.

mercurius et
alia metalla,

HELMONTIUS asthma spasmodicum a mercurii partibus in pulmones permanantibus incepisse memoriae tradidit. Item ex aliis metallis contritis minutissimas partes pulmones replere, irritare et asthma facere, FLOYERUS testis est.

liquorum
fermenti-
scendentium
halitus,

RIDLEIUS adolescentem, qui in cellam ubi cerevisiae novellae magna vis recondita fermentiscebatur, intraverat, protinus suffocationi adeo proximum fuisse, ut nisi ope aliena

inde exire nequierit, atque deinde sub divo diu anhelosum et omnia circa pectus coarctari questum, sine tussi permanisse, memorat.

VAN HELMONTIUS Monachum, qui in dormibus diruendis multum versabatur, asthmate primum esse implicitum, certiores nos fecit.

AD supra dicta attexendum est animi magnas perturbationes fana corpora in asthma cum spasmo conjicere; atque in idem convulsiones aliarum partium definere.

ITA RIDLEIUS, mulierem circiter sexaginta annos natam, mollem et tenerum habitum habentem, sed hactenus secunda valetudine usam, subita cujusdam viri quem multum dilexerat morte nunciata, in uteri, quam dicunt, strangulationem cum gutturis praefocatione, incidisse, auctor est.

IDE^M alibi in asthma convulsiones artuum, et in has illud, alternis vicibus permutari dixit.

Porro per SAMUELIS ANHORNII indicium, nobilem mulierem, cum omnium fere generum convulsionibus diu conflictatam, in asthma spasmodicum adeo siccum incidisse, ut fauces aridas liquoribus assidue humectare necesse haberet, testimonio priori addidit.

HAs autem omnes causas, non ullum materiei genus accumulando, sed irritabiles, ut ante positum est, pulmones in magis irritando, et spasmodum cui jam ante proclives fuerint, excitando, agere manifestum est. Si enim fe-

animi affectiones,

convulsiones.

Has causas spasmodum excitando, non materiam accumulando, agere.

bres intermittentes, si pulmonum inflammatio, si laterum dolor, si catarrhus, in pulmones materiam conjicere dicantur; quorundam, quae-
so, haec abiit? cur non in conspectum prodit?
aut aliquid faltem sui vestigium, vestigii um-
bram, umbrae simulacrum relinquit? At per
asthma sputo quiddam saepe rejicitur; unde
ei humidi asthmatis nonnulli nomen impo-
fuerunt. Esto id saepe fieri; verum, si non
semper, unde eae asthmatis formae sunt quae
omni sputo carent? Praeterea hoc ipsum
quod expuitur tantillum est, ut morbum tan-
tum efficere posse nulla ratione fit credendum.
Quod si quis rejiciat, intus subesse materiam
posse, quae asthma efficere neque ipsa ejici
queat. Huic respondeo, Nihil alienum, nisi
spasmo praeter naturam id retinente, contine-
ri; quin aliquâ viâ, eâque expeditissimâ, natu-
rae ope, ejiciatur; aut, si id praestare natura
nequeat, manifesta inde incommoda, vel ipsa
etiam pernicies, nascantur. Ergo, si spasmodum
quacunque subesse, et hoc asthma in eo sem-
per consistere, concedetur, propositum meum
evici. Si negabitur; at materiam alienam in
corporibus triginta, quadraginta, vel quinquaginta
annos, imimo ad extremam senectutem,
posse latitare; ac, nisi quod accessiones asthmati-
cis subinde reducat, nihil aliud mali inferre,
nullas partes laedere, corporis actiones nullas
turbare; quod FLOYERUS sibi et plurimis aliis

contigisse confirmavit, fingi quidem animo ne-
quibit.

IN reliquis formis asthmatis, quae a malo hysterico, ab hypochondriaco, ab acribus aut noxiis corporibus asperam arteriam pro tempore irritantibus, ab animi perturbationibus artuumve convulsionibus, oriuntur, quis ullam subesse materiem dixerit? quis non in puro motu spasmodico malum positum conceferit?

IIS quae morbum ab initio faciunt expositis, proximum est quae subinde accessiones reducant, commemorare. Cumque ea numero prope infinita sint, idcirco maxime communibus folis ero contentus.

HAEC autem aër quaeque is ad pulmones humanos quaedam advehit; nonnulla ad victimum pertinentia; nimia exercitatio; animi perturbationes; excretiones justum modum non servantes, habebuntur.

AERIS, ventorum, et tempestatum mutationes omnes nocent, omnes accessionem asthmaticis referunt. Quae res ipsam coeli, sive boni, sive mali, sive mediocris, mobilitatem obesse ostendit.

EJUSDEM tres proprietates nocent, calor, aëris humor, et frigora extrema.

CALOR asthmaticis maxime inimicus est, calor, itaque omnium temporum aetas nocentissima

est; quippe qua accessiones et plures et saeviores fint. Neque jubar solum et aëris externi calor nocet; sed et igne, veste, lecto, turba clausove cubiculo qui sit, omnes asthmaticos offendit, omnium accessionum periculum vel ipsas has reducit. Quorum utique pessimus ignis est; quippe cuius vis nocens brevi sentiatur. Adeoque ipfos canes, qui ignem proprius, ut fert illorum confuetudo, jacent, difficilius spirare vulgo videmus. Veste gravati qui incedunt, cito spirandi laborem sentiunt. Quin et lecti aër calefactus non solum cum accessione conflictantes premit, sed ab his etiam liberatos male afficit. Quid ego halitus ex turba hominum in eundem locum conclusorum ortos, aut ex cubiculo liberiorem aëra minus accipiente, loquar; quos ne integri quidem homines spirare impune sustinent?

humor, PORRO, humor ita toto coelo diffusus, ut id magna vi aquarum in pluviam mox dissolvendarum undique fit refertum, asthmaticos degravare et accessiones confertim referre sollet. Cui dissimilis non est domuum humidarum, regionum palustrium aut silvestrium, ventorumque humidos vapores aliunde aliquo verrentium, noxia potestas. Itaque notus, tales ad hanc regionem vapores perferens, asthmaticis plurimum obest.

frigus sum- POSTREMO, licet frigus modicum, atque *um,* plus etiam quam modicum, asthmaticorum

aptum spiritui sit; frigidumque, serenum, ac tranquillum coelum, ante omnia, etiam in medio gelu, juvet: idem tamen extremum, praesertim ante nives et tempestates graviores, notove aut aquilone perflantibus, multiplicem noxam infert.

PROXIMI aëris naturae vapores sunt; quippe qui illo vecti in pulmones nostros permanent. Hujusmodi qui nocent sunt, magnarum urbium, domuum, nicotianae per fistulam ore acceptae atque redditae, tonitruum ac similiūm, sive fumi sive vapores.

MULTI aëris Londinensis impatientes sunt. Fumi, Prunarum autem per domum, ubi asthmaticus aliquis habitat, suffusus fumus eum prope strangulat. Nicotianae fumus non solum, ut supra dictum est, asthma primum facit, sed multo etiam magis, ut par est, accessiones reducit; quarum primo die strangulationis, teste FLOYERO, haud leve périculum facit, atque deinde semper pectus multum coarctat. HELMONTIUS, a fulminibus dimanantes vapores nonnullis crebrum et difficilem spiritum reddere, observavit. Eodem fermentescientium liquorū halitus quoque pertinent. Ita BONETUS, quandam, cum cellam ubi musti magna copia fermentescet ingressus esset, gravi accessione correptum, literis mandavit. Item cerevisiae fermentescētis halitus, quem asthma fecisse RIDLEIUS indicare supra dictus

est, etiam magis morbum reducet. Postremo odores ab hoc loco alieni non sunt; qui, sive acres, sive aromatici, sive graves, omnes inimici asthmaticis sunt.

metalla, MERCURI et metallorum aliorum partes, adeo exiguae, ut aëre levatae cum spiritu in pulmones irruere queant, initium asthmatis spasmodici dare dixi; eadem, testante FLOYERO, illius accessiones renovant.

pulvis, ALTERA quoque corpora supra dictis minus exigua, et sensibus nostris manifesta magis, in aëra tolluntur, et cum spiritu in pulmones deferuntur. Ea terrestri natura sunt, et quae maxime nobis familiaria sunt, pulvis vulgo vocantur, omnibusque asthmaticis molestiam exhibent. Itaque sine hujusmodi hominum incommodo nulla domus verritur. Adeoque quidam asthmaticus, cui hordeum, unde cervisia conficeretur, humefactum parare aperiebat, sese hordei motati ab alio in aliud locum, parum ferre, FLOYERO indicavit.

victus UT ad victus rationem transeam; quae turbae inde nascuntur, eas dupliciter, prout vel a cibis vel a potionibus nascantur, tractabo.

immodicus, Igitur omnis cibus immodicus, sive secunda sive contraria materia sit, alienus est. Siquidem satietas cruditatem, haec inflationem pulmones irritantem, omnibus asthmaticis inimicam, intus inchoat. Neque omnium qui asthma passi sunt experientia hanc op-

nionem non confirmat: Idem hoc etiam de potionum usu immodico dicendum est.

IN numero autem eorum quibus nocens natura est, omnia inflantia, nimis alentia aut concoctu difficultia, per cibum assumpta, habenda sunt. Ergo omnia olera et pleraque ex herbarum genere; qualia legumina et brassicae varia genera sunt; item piscium genera, conchilia, fumo indurata, sive ex piscium sive ex carnium natura petita, denique ova, gelatinæ, lactis tremor, animalium tenera aetate carnes, obfunt.

POTIONES dupliciter quoque, mera vi et fermentatione, nocent. Ex meris potionibus vini Galici spiritus nocentissimus est, eoque nocentior, quo propius ad incendentem puri alkoholis naturam accedit. Idem vel liquor Indicus, qui Anglice RUM dicitur, multa aqua dilutus, faccharoque et limonum succo additis, in potionem PUNCH nominatam confectus, teste FLOYERO, accessiones renovat. Idem porro praestant ubera illa vina quae SACK et SHERRY Anglice audiunt, sicut et vinum Frontinianum, ut idem vir testatur. Praeterea omnes liquores, sive vinosi, sive pomacei, sive ex cerevisiarum generibus, adhuc fermentescentes aut novellae, accessiones accersunt, vel ultro futuras accelerant.

AD supra dicta accedit, quod, sive potiones,

five cibos, five medicinam respicias, calida omnia assumpta obfunt.

exercitatio, Ut ad exercitationem nimiam, accessionum quoque originem, procedam; longam fatigationem aut nocturna negotia corpora adhuc integra morbo afficere dictum est. Nec dubium est, quin hunc, ubi ante fuit, eadem etiam potenter reducant. Praeterque haec omnis corporis, praesertim artuum superiorum, motus violentus aut diuturnior, sumum mali reducis periculum adfert. Nulla vero omnino inter accessiones exercitatio fecurior quidem asthmatis; plurimum mali habitus, lethargi, aut hydropis, metum efficit.

animi perturbationes. Ex animi perturbationibus FORESTUS subi-
tum terrorem orthopnoeam exitialem conci-
taffe auctor est. Quaeque morbum, ut dictum
est, primum faciunt, metus, moeror, et ani-
mi solicitude, eadem ad eundem referendam
efficacia sunt. HELMONTIUS, "ex ira, tristis
" nuncio, vel etiam objurgatione, plurimos
" mox luctuoso asthmate correptos," memo-
rat. Praeterea literarum disciplinae contem-
platio, inquieta cogitatio, praesertim lucu-
bratio, quorum consuetudo asthma efficere
dicta est, quoties iis sepe aliquis jam ante af-
fectus dedit, idem mali nunquam non ren-
vabunt.

NEC excretionum profluviorumque, sive naturalium seu arte aut morbo factorum, vis omittenda est. Quas diutius suppressas asthmatis initia inferre supra demonstravi; idemque jam ante factum subinde reficere, verisimilimum est. Reque vera scriptorum testimonia non defunt, quae omnia excretionum genera subito retenta vel suppressa, alvum, urinam, sudorem, perspirationem, salivam, menstrua, haemorrhoides, pedum foetorem, ulcera veterantia, tumores, praesertim crurum, fonticulos et capitis acores, asthmatis accessiones inferre, fidem faciant.

JOANNES FLOYERUS, causis accessiones asthmatis referentibus, somnum enumeravit; eoque magis, quod post somnum morbus plerosque mane repetit. Cujus opinionis causas, quaeso, accipe. Somnus ultro imminentem accessionem acciet. Quare? quia, ut in morbi affectibus, qui eum praecedunt, tradendis ostendi, somnus semper interturbatur; saepe duas ante accessionem noctes, quod ille ipse fatetur, omnino fugatur. Nonne, e contrario, somnum sincerum, qui omnia spasmodorum et convulsionum genera componit, non spasmum asthma continens accersere, sed ipsum ab eo turbari pellique, sequetur? Porro, sibi e lecto surgendi, praesertim aestate, et infidili dormiendi, saepe impositam necessitatem, ait, Quaenam haec oratio est, aut quor-

excretiones
suppressae.

Somnum ac-
cessiones non
referre.

sum tandem pertinet? An somnus in sedili, quam in cubili, minus somnus habendus est? Praeterea se aestate hoc fecisse dicit, quo tempore lecti calor asthmaticis intolerabilis est. Igitur non somnus, sed temporis, sed loci calor, et corporis jacentis habitus, erat accusandus. Quod autem se, in seram noctem quietem differendo, unum alterumve diem accessionem retardasse, dixerit, eodem fane pertinet. Id enim, non vigilando, sed corpus erectum et frigido cubiculi aëri objectum fervando, boni sibi praestitit. Ergo somnus non accessionum causa, sed pars curationis, ut postmodo suo loco ostendetur, credendus est.

**Asthmatis
spasmodici,**

ASTHMATIS spasmodici natura, signis, et causis plenius expositis; quibus deinde in rebus a paucis morbis id imitantibus differat, quoque modo eae differentiae dignoscantur, ostendere conabor. Dyspnoeam autem, orthopnoeam, asthma pituitosum, catarrhum suffocativum, et malum hystericum, quando id spiritum adficit, comprehendam.

dyspnoeae, A dyspnoea, sub qua asthma continuum dictum ponam, asthma spasmodicum differt; quod in illa spirandi vitium continuum est; in hoc circuitus habet. Praeterea si utriusque causae spectentur, illam compressio, hoc spasmus, semper continet.

orthopnoeac, AB orthopnoea discrepat, quod longissimum

est, et circuitus habet; cum ea acutissima, nunquam deinde redeat.

EST asthmatis species quam "cum tussi humida ac refectione pituitae viscidae contractam, noctu dieque, sub quocunque corporis situ, infestare," HOFFMANNUS definit. Quae notae, quoties apparent, hoc ab asthmate spasmodico satis distinguunt. Praeterea causae diversae sunt. Asthmatis pituitosi origo est glandularum bronchiorum, ob catarrhum aut aliam aliquam pristinam labem, resolutio. Unde pituitae magna copia assidue fere profunditur, et spirandi actionem assidue quoque, neque adeo multum laedit. Praeterea homines quorum corpora pituita abundant, hujus tantam copiam sine gravi incommodo suppeditant. Quae tamen materia, sive frigore sive quavis alia causa, retenta intus substatit, stagnando et partim pulmones onerando, partim irritando et spasmos excitando, demum spiritui plurimum officit, et diras turbas creat. Quo fit, ut, cum adeo ei inimicum frigus sit, ejus accessiones plurimas et gravissimas hyems fere pariat. Quod hunc morbum ab asthmate spasmodico haud obscuro discrimine disjungit. Itaque FLOERUS cum alios, tum mulierem obefam, cum catarrho conflictantes, huic asthmati, hibernis mensibus magis opportunos esse, dixit.

Contra, cum adeo irritabiles eorum pulmones sint, qui asthmate in spasmo posito afficiuntur, eos in accessiones causae multo leviores praecipitant. Quinetiam causae saepe omni materia carent, saepe morbus sine ullo sputo solvitur. Ipsi homines plerique sanguinei sunt. Verum tanta discrimina tantummodo circa initium asthmatis pituitosi dantur. Paulo enim post, tussis cum sputo vel decedunt vel minuuntur; inter accessiones spiritus minus male afficitur; et spasmus demum ita omnia signa continet, ut RIDLEIUS non sine causa pituitosum et spasmodicum asthma pro eodem morbo habuisse, et a spasmo pariter utrumque oriri, atque ex diversis causis occisionalibus, addito etiam novo aliquo affectu, tantummodo incipere, judicasse videatur. Atque haec opinio eo verisimilior est, quod ipsum asthma manifesto spasmodicum, prout a causis materiam quamvis intus retinentibus excitatum sit, sub accessionis finem haud exiguum sputi copiam saepe emittit.

catarrhi suffocativi,

DENIQUE, stertor, robur subito fractum, sonus quasi spumidus, materia perpetuo inter spirandum effluens, brevis cursus, et raro recursus, catarrho suffocativo adhaerentia; quarum notarum raro quaequam, omnes nunquam, in asthma spasmodicum conveniunt; praeterea acuta illius natura, quo minus asthma spasmodicum credatur, prohibebunt.

POSTREMO, malum hystericum, quod tot alios morbos imitatur, hunc quoque, ad guttur adspirans, et globum hystericum dictum efficiens, mentitur. Cujus utriusque morbi haec sunt discrimina. Globus hystericus, omnia comprimendo, distendendo, et convellendo, strangulationem prope infert, atque ex rerum necessitate citius decedit. Asthmatis per aliquot dies saepe accessio minus convulsiva permanet. Ille aëre et spasmo summas fauces constringit; hoc intra pulmones sedet.

LONGISSIMUS morbus asthma spasmodicum Eventus est; raro ex toto tollitur, paucos mortales praefagium, jugulat. Alios triginta, alias quinquaginta annos, alias ad extremam senectutem, tenet.

PAUCAS tamen observationes proprias, hominum aetates et naturae, morbi causae, item hujus aetas, modus, aut accessionum frequentia, requirunt.

Ex iis qui infra pubertatem sunt; quo minor quisque natus est, eo integritatis major spes est. Tenerae enim aetates, mirum in modum, omnibus spasmorum et convulsionum generibus, ob mollitiem et irritabilitatem tenellorum corporum, obnoxii sunt. Quae deinde firmatae, ubi corpora jam robore auxerunt, fibris rigescitibus et causa sublata, jam magis atque magis ineuntis aetatis mala superabunt. Post pubertatem vix ulli ad integrum firmitatem redeunt.

et globi hysterici, discrimina.

*ex parentum
labe,* NEQUE eorum, quorum naturis vitia pa-
rentum labem infeverunt, quisquam est fana-
tus.

ex materia, SI aliena materia recens adhuc morbum fe-
cit; si excretiones suppressae ei initium dede-
runt; illa corpore ejecta, his restitutis, tolli
malum poterit.

*ex morbi ve-
tustate,* UBI asthma inveteravit, accessiones leniri,
sublevari, et differri queunt; tolli ex toto ne-
queunt.

*et accessio-
num frequen-
tia, petitum.* ACCESSIONES aliae alias, brevibus requie-
tis moris interpositis, crebrius excipientes,
senilia et tenuia corpora in tabem conjici-
unt; adiposa et pinguia hydrope, lethargo,
aut pulmonum inflammatione, in mortem
mox desituris, afficiunt.

*CURATIO
tractata,* IN curatione asthmatis spasmmodici tria con-
filia sequenda sunt; primum ut spasmus com-
motus componatur, id quod in ipsa accessio-
ne faciendum est; deinde ut caufae eam exci-
tantes tollantur aut levantur; postremo ut
morbo reddituro occurratur.

*spasmo com-
ponendo,* AD spasmus componendum pertinent al-
vum ducentia, eandem ore data purgantia,
vomitum moventia; fomenta, sanguinis de-
tractio, medicamenta sedantia, acidae ac di-
lutae potiones, frigus ad corpus adspirans;
postremo ciborum et potionum delectus ha-
bitus. De quibus ordine pauca dicam.

QUONIAM, ut ante in morbi signis tradendis dictum est, primum saepe auxilium, una aut plures dejectiones, adferunt; semperque durior alvus accessionis vim, ut in causis quoque demonstratum est, intendit; et alvus cum minima partis laborantis molestia sollicitatur; hanc ducendam ipsa natura praemonstrat. Simul, quia asthmaticos omnes inflatio offendit, ii liquores in alvum immittendi sunt, qui inflationem maxime discutiunt. Hujusmodi sunt illi qui CARMINATIVI vulgo adpellantur. Ii aëra conclusum infra emittunt, alvum com mode solvunt; praeterea dolorem sopiente facultate praediti, corporis, ideoque pulmonum irritabilitatem quodammodo imminunt.

QUOD si spasmum, ut haud raro incidit, inimicae cujusvis materiae, qualis frigus, accessionis haud levis causa, perspiratione occlusa, intus convertit, copia congesta auxit; nihil obstat, quo minus acres humores quibus fanguis in tali casu abundat, purgante medicina ore assumpta, per intestinorum glandulas alto educantur. Cavendum tamen est, ne vi gente accessione, neve per nimis irritantia, alvus sic purgetur.

NEQUE infra solum, sed supra purgare, dummodo lenius hoc fiat, saepe etiam convenit. Id enim inflationem spasmum irritantem discutit, ideoque hunc quoque minuit, et non

quod fit per
alvum duc tam et car minativa,

purgantia o re data,

vomitum mo ventia,

nullorum ventriculum ab aliena materia liberat. Sed cavendum est, violentius vomitum moventia dentur: Contrarium enim praefstant, vires fatigant, et irritationem spasmos continentem augent. Radicem igitur aut tincturam ipecacuanæ, vel oxymel aut acetum scilliticum, dare potius erit. FLOYERUS oxymellis scillitici uncias singulas, olei amygdalarum dulcium tantundem, solum praecepit.

fomenta et
balneum,

EIDEM consilio, pedes, pectus, abdomen, et humeri, calida aqua perfusi, respondent. Neque talis calor metuendus est; quippe qui tantummodo pro tempore, immo pro temporis puncto, maneat; quem e contrario vis sedans et spasmos potenter consopiens, continuo deinde excipit.

vesicatoria,

PORRO vesicatoria, quorum in multis morbis agendi actio incertior est, spasmus in hoc resistere, et magno auxilio esse, solent. FLOYERUS, brachiis, humeris, et cruribus, vesicatoria imponi jubet. Video etiam RIDLEIUM inter scapulas cum magno auxilio amplum vesicatorium admovisse.

sanguinis de-
tractionem,

ITEM sanguinis cauta detrac^{tio}, quae adversus alios spasmos potens est, etiam in hoc utilis esse posse credendus est. Ad quod utique remedium, nunquam nisi in graviore refugiendum est. Nam si toties vena secaretur, quoties asthma spasmus reducit, profecto

confuetudo vitalem humorem profundendi multo plus mali inferret, quam, spasmus soluto, boni praestaret. RIDLEIUS in duabus totidem mulierum accessionibus supra positis plurimum sanguinis feliciter ademit. Nullus senibus demendus est. Idem remedii junioribus plenis non nocet, si adversus gravem morbi impetum solummodo adhibeatur.

DENIQUE ex sedantibus medicamentis opia-
ta, aut ex papavere confecta, idonea sunt.
FLOYERUS diacodii et olei amygdalarum dul-
cium parem copiam commisceri, et unum
vel alterum cochleare, lecti petendi tempore,
dari; aut laudani liquidi decem vel duode-
cim in julepo hysterico guttas solutas mites,
et cum gas sulphuris mixtas, praeceperit. VIL-
LISIUS "pro subita dyspnoeae vere spasmodi-
cae sedatione", inquit, "nullum praesentius
"remedium expertus sum laudani opiatи tinc-
"tura nostra, quippe, somno obrepente, spi-
"ritus inordinationes suas remittunt." FLOY-
ERUS porro aquae papaveris, quae dicitur, un-
cias ternas, cum syrapi papaverum rubro-
rum drachmis quaternis, et fatis prunelliani
drachmis dimidiis, maximo commodo haurire
confuevit.

IDEM omnia volatilia, qualia sunt fales vo-
latiles, castoreum, afa fetida, item acria aro-
matica aut calefacentia omnia, iterum ite-
rumque nocere dictavit. Pro quibus acidis po-

acidas po-
tiones,

frigida aqua dilutas potiones, vel carminativa
quaedam aceto temperata, subjicit.

frigus, Postremo, sub accessionis finem aut somno utique dato, simul atque homo experrectus est, sedile quam cubile, frigus quam calor, potior est. Quod si cubandi fuerit necessitas, pectus hominis frigidiusculum servetur, neque pars ulla veste oneretur.

et victus rationis delectum;

NEQUE in ipsa accessione victus ratio negligenda est; hujus autem ita delectus haberi debet, ut omni carne abstineatur; quippe quae suffocationis periculum, accessionis quatuor vel quinque dierum moram, et novam saevitatem addit. Coctum ovum, aqua fervente solutum, magna aceti copia adjecta, pandenti detur. Item panis tostus, adjecto buttero, convenit. Ante autem prandium, primo accessionis die, nullus cibus sumendus est. Hydromel vel vinum multa aqua dilutum potetur. Matutinis vero et vespertinis horis refrigerantissima julepa et sales hauriantur. Quae quidem ratio, si gravior modo accessio fuerit, in biduum, triduum, vel quatuor dies, pro rei necessitate, servanda est; sin minus, paulo major indulgentia nihil nocebit.

bolus pectoralis utilis.

AD supra dicta, puellam quandam in nosocomio Edinensi a bolo pectorali Pharmacopeiae Pauperum summum accepisse auxilium, attestare haud alienum est.

Iis quae ad spasmum componendum et accessionem levandam pertinent, propositis; ad ea quae hanc prorsus tollunt, quae pars curationis in causis morbum excitantibus tollendis consistit, procedam.

ANTE omnia autem dicendum est, quaeunque accessionem potissimum reduxerunt, iis contraria in curatione tractanda esse, similesque rationes, ea quae morbo initia dederrunt, habere.

UT igitur ab his, quae prima ordine sunt, materiae e-
incipiam; si ex aliis malis materia aliena re- jectam,
licta offendit, ea omni cura ejicienda est.
Quae medendi ratio ex ipsorum morborum
curatione propria trahenda est.

SI spasmos, animi perturbationes, aut alii morbi spasmodes, ad pulmones aliunde transfulerunt; spasmis resistentia istis morbis curandis propria, et animus sedatus et exhileratus, respondebunt.

UBI coeli calor, humor, summum frigus, fumi, halitus, odores, exiguae metallorum partes, aut pulvis, noxam intulerunt, haec omnia vitanda sunt; purus, siccus, et frigidus aer querendus, vel intus domi imitandus est. Idque eo diligentius faciendum, quod aeris ea vis est, ut in domum penetralia permanans, vel minime ei objectum asthmaticum in accessionem tamen conjiciat. Itaque, "spi-

Causas accessionum tollendo,

quod fit, per causis contraria,

spasmum consopitum,

calorem, humorem, summum frigus, et similia, vittata,

“rante Borea,” qui in Continente Europae asthmaticis plurimum obest, HELMONTIUS “non nulos vel in hypocaustis asthmate plecti,” observavit. Sed ex modo dictis quaedam proprias observationes requirunt.

Astropii a-
quam,

ACCESSIONEM, quam nicotianae fumus intulerat, Astropii aqua hystericae cuidam admit.

sulphur et
vomitum,

A fulguribus ortum asthma, medicamentis sulphureis et vomitu, curandum est.

oleum,

Si partes metallorum minimae nocuerunt, oleosa, lacteus victus, mucilaginosa, et purus aér, plerisque profunt.

excretiones
reductas aut
auctas,

PORRO, si excretiones solitae suppressae tentaeve accessionem fecerunt; eadem reductae vel auctae curationem prosperam facient. Neque exemplis opus est ad id illustrandum quod certissima et multiplex experientia luce clarius reddidit. Quin et insolitae supervenientes, saepe morbum tardiū amovent, dum ipsae permanserunt.

insolitas fac-
tas,

ITAQUE GULIELMUS Britanniae rex, cum in praelio Boynensi apud Hibernos humeri vulnus, pugnans, accepisset, consuetis asthmatis accessionibus, quoad humor vulnere extit, ex toto caruisse dicitur.

erurum tu-
morem et al-
vum solutam.

ALIOS crura tumescentia multum levarunt. Item alvus sponte soluta nonnullis auxilio fuit. Si sanguinis toto corpore abundantia

morbum reduxit, is, vena secta aut alvo purgata, detrahi debet.

TERTIO medendi consilio, scilicet, ut morbo reddituro occurratur, modo dicta conveniunt. Praeterque haec victus et aëris ratio, exercitationis et animi affectionum, denique somni et alvi modus, spectandus est.

CIBOS esse ab inflatione alienos et concoctū faciles, homines oportet; liquores bene fermentatos potare. Iidem aqua diluti, acido leniore adjecto, plerisque profunt. Quin et aqua pura, teste FLOYERO, mirum auxilium praestitit.

COELUM serenum, ab omnibus ventis ac tempestatibus purum et frigidum, maxime convenit. Quae coeli proprietas, si quando non est, quantum fieri poterit, intra domuum parietes imitanda est. Video aliis rusticum, aliis urbanum, aëra prodesse. Qui hunc aut illum, prout maxime sibi responderit, quique affectent.

UT exercitatio vehementior omnes asthmaticos offendit, ita nulla tabem et alias noxas infert. Mediocris igitur quaerenda est. Quocirca equo leniter vel rheda vehi, item lentius ambulare, juvabit.

CONVALESCENTIUM animos eodem, quo coelum, habitu esse oportet; serenos nec ullis, quae quasi alterae tempestates sunt, perturbationibus contristatos,

Reditui morbi occurrunt

victus ab inflatione alienus et aqua,

coelum serenum,

exercitatio lenis,

animi serenitas,

Somnus, SOMNUS modicus et tempestivus sit; ut et
reditus morbi differatur, et priori acceſſione
afflictum corpus recreetur.

**et alvus du-
cta.** POSTREMO, cum adſtricta alvus omnibus
asthmaticis obſit, ſiquando juſto durior fuerit,
quo moleſcat, ea in alvum immitti debent,
qui ſimul molliendi, ſimul roborandi, virtute
praedita funt.

F I N I S.